CAROLI LUDOVICI STRUVE

# OPUSCULA SELECTA.

VOL. II.

Digitized by Google

DIRECTORIS QUONDAM GYMNASII URBICI REGIMONTANI

# OPUSCULA SELECTA

EDIDIT

JACOBUS THEODORUS STRUVE,

PHIL. DR., LITERARUM ROMANARUM PROF. P. E. O. IN CAESAREA UNIVERSITATE CASANENSI.

VOL. II.

LIPSIAE,

SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLIV.

Digitized by Google

# A.

# OPUSCULORUM CRITICORUM

PARS II.

ἡλεκτρονικὴ ἀναπαραγωγὴ ἀπὸ λεκτικὴ

ΕΥΣΤΑΘΙΟΣ

# 4. PHILOSOPHI.

## a) PLATO.

Optativi in lingua Graeca ut multiplex et varius est usus, ita non minimam difficultatem habet ejusdem explicatio, ubi post relativa cujuscunque generis positus reperitur. Quam quaestionem nunc omnem a nobis explicari et exhauriri posse, nemo exspectet. Doctrina enim grammatica linguae Graecae nostro demum tempore inchoata ab Hermanno, Buttmanno, Schaefero, Matthiae, Heindorfio, et Lobeckio nostro, aliisque, tantum abest ut ad perfectionem jam quandam, ubi consistere paulisper et quasi vires reficere possit, pervenerit, ut potius multorum hominum multarumque aetatum indefesso studio opus sit, ut eam in aliquo saltem dignitatis et certitudinis gradu positam videamus. Ut pauca quaedam de pluribus delibemus, quibus in toto hoc grammaticarum quaestionum genere opus est, alibi jam diximus, uniuscujusque scriptoris usum in examen esse vocandum, nec, si quid in aliquo a communi regula normaque aberrans inveniatur, statim id ad aliorum scriptorum usum conformandum atque refingendum quasi esse, qua de re, si bene memini, monuit quoque Hermannus in annotationibus, quibus Vigerum ornavit. Neque minus opus est, quod nunc adjicimus, ut improbo labore atque indefesso studio exemplaria nostra, quae nunc vulgo manibus teruntur, ad veterum codicum et manuscriptorum et impressorum scripturam summa cum fide exigantur. Dici enim fere nequit, quot locis tum editorum tum typographorum negligentia optimus quisque scriptor labem contraxerit, quam si diutius propagare siverimus, metuendum est, ne, quae sincera jam fuerint, magis magisque semper corrupta atque in pejus deformata reperiantur. Ut uno sed illustri, quamvis in parva re, quemadmodum multis videtur, exemplo hoc, quod diximus, illustremus, Buttmanni, Viri

ἡλεκτρονικὴ ἀναπαραγωγὴ ἀπὸ λεκτικὴ

Digitized by Google



sane in his grammaticis subtilitatibus solertissimi, haec est nota ad Platon. Alcibiad. I. c. 60. in addendis pag. 210.

„P. 172. e.*) Ὥι γὰρ — ἐξουσία μὲν ᾖ. Astius sine libris Ὥι γὰρ ἂν. — In quo sequitur ille quidem normam mille locorum consensu tantum non certissimam. Tamen cum in aliis verborum structuris hanc particulam sibi exposcentibus subinde omittant eam scriptores, et in hac ipsa tragici; meum certe non duxi, ut quidquam sine libris hic agerem. Sed notare illud debebam, ut hic, ita supra etiam p. 53. e. ὅτῳ γὰρ ἐντύχῃ.

Quae de hoc mille locorum consensu sentiamus, jam ante aliquod tempus patefecimus in programmate autumnali 1815, ubi demonstrare instituimus, in *Luciano* saltem in hac relativi constructione nunquam ἄν deesse. Idem quoque in Platone locum habere, multa lectione et accurata omnium locorum comparatione nobis usu cognitum est, quod uberius persequi nunc non vacat. Quapropter cum dialogos hos, Buttmanni cura editos, accuratius jam Dorpati perlegeremus, in utroque loco, antequam addenda inspexeramus, hoc ἄν deesse, in margine nostrae editionis significavimus. Vidimus postea hoc ipso tempore, virum doctissimum, qui in ephemeridibus literariis Jenensibus (a. 1816 mens. Decembr. num. 230 seq.) Buttmannianae editionis censuram exhibuit, quemque Astium esse haud obscuris indiciis colligi potest, in loco Menonis ὅτῳ γὰρ ἐντύχῃ eundem hujus voculae ἄν defectum animadvertisse. Forte vero accidit, ut juvenibus nostris dilectissimis hoc ipso spatio semestri inter alia Menonem quoque explicarem, quo in labore etiam criticam, quantum ea pro talium juvenum viribus esse videatur, tangere solemus. Explicato enim ad grammaticam rationem loco aliquo, sicubi vel propter sententiarum nexum vel propter usum linguae Graecae vel tandem aliquam ob causam, quae teneris his animis non nimis recondita sit, aliquid sive turbatum sive corruptum sive peculiari quadam animadversione dignum mihi videtur, interrogare soleo juvenes, atque exhortari, ut, qua in re offendat locus ille, suis ipsi viribus investigare conentur. Jam cum eandem quaestionem in hoc Menonis quoque loco instituissem, statim nonnulli, in quibus Hamannus, quem nunc primo testimonio condecoratum e scholae disciplina

*) Hic quoque typographi errore excusum est p. 172. c.

Digitized by Google